

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 11

Artikel: Io. Iacobi Zimmermanni disquisitio de religione Pythagorae
Autor: Zimmermann, J. Jacob
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394628>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 06.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

JO. JACOBI ZIMMERMANNI
DISQUISITIO
de
RELIGIONE PYTHAGORÆ.

Pars posterior.

Sect. VIII.

Sed videamus tandem, quid *Samius* noster de mentis nostræ natura, statuque post mortem senserit. *Plutarchus* de *Placit. Philosoph.* Lib. I. cap. 3. ita de hac materia ex mente *Pythagoricorum* loquitur: Καὶ ἡ ἡμέτερα ψυχή (φησὶν) ἐκ τέλειδος συγκεῖλαι, εἶναι γὰρ νῦν, ἐπισημνῆν, δοξάν, αἰσθησὶν, ἐξ ὧν πᾶσα τεχνη, καὶ ἐπισημη, καὶ αὐτοὶ λογικοὶ εἶσμεν. νῦς μὲν ἓν ἢ μόνως εἶσιν. Ὁ γὰρ νῦς καὶ ἰσο μοναδα θεωρεῖται. Ὅσον πολλῶν ὄντων ἀνθρώπων οἱ μὲν ἐπι μερῶς εἶσιν ἀνασθητοὶ, ἀπεριληπτοὶ καὶ ἀπειροὶ, ἀλλ' αὐτο τῆλο ἀνθρώπον ἓνα μόνον νοσμεν, ὡς εἴθεις ἐτυχεν ὁμοίος· καὶ ἵππον ἓνα μόνον νοσμεν. Ὅι δὲ ἐπι μερῶς εἶσιν ἀπειροὶ. Τα γὰρ εἶδη ταύτα παντα καὶ γένη καὶ ἰσο μοναδας εἶσιν, δια καὶ ἐπι ἓνος ἕκαστῶ αὐτῶν τῆλον ὄρον ἀποδιδούτες, λεγσσι, ζων λογικὸν ἢ ζων χρεμελιστικὸν ῥήλεον· δια τῆτο ἓν νῦς ἢ Μονως ὡ ταύτα νοσμεν. i. e. *quin* ὅ animam nostram *Pythagorici* ajunt *quaternione* constare. *Esse enim hæc quatuor, mentem, scientiam, opinionem, sensum: unde omnes scientiæ ac artes profectæ sunt, ipsique ratione præditi propterea sumus. Mens enim est unitas, quod mens quæ percipit, unitatis in morem percipit. Exempli causa, multi sunt homines. horum unus quisque,*

pro

pro se percipitur sensu, numerus eorum a nobis definiri nequit. Unicam vero mens hominis notionem concipit, quæ in singulis repræsentatur. Idem de equo & aliis intelligimus, quorum Individua (ut Logici appellant) sunt innumera: formæ enim, sive species itemque genera omnia rationem habent unitatis: ita singula eorum definiuntur dicunt, animal ratione præditum, animal hinniens: hæc causa est cur mens, quæ formas rerum percipit, unitatis adficiatur nomine. (*) Hæc doctrina Pythagoræ convenit, cum modernorum Philosophorum de anima decretis. Mea opinione firmissimum argumentum, quo probatur mentem esse rem intelligentem petitur ab unitate perceptionis rerum per sensus ad nos delatarum. Ponamus, id quod mentem vocamus, esse corpus, cujuscunque tandem molis, aut figuræ: ponamus nos naribus admoveere duas plantas, unam v. gr. rosam suaveolentem, alteram male olentem, quod si mens nihil aliud esset quam corpus, duplex in illa anima corporea per sensationem fieret motus: at unde tandem esset judicium, duas illas sensationes inter se conferens? rursus ponamus nos cernere canem: fundamenti loco statuendum totum nihil habere posse, nisi quod omnes partes totius possideat: quod si igitur omnes partes animæ illius corporeæ haberent sensationem, sequeretur necessario,

(*) Quam incerta atque dubia sint, quæ de Tetracty Pythagoreorum Veteres & recentiores tradiderunt, egregie docet Cl. MOSHEMIUS in notis ad CUDWORTHUM Tom. I. pag. 451. sq. Cæterum ego nullam præstarem fidem Pythagoram per omnia recte de operationibus mentis sensisse, aut recentiorum philosophorum de simplicitate mentis humanæ sententias jam suo tempore admisisse.

sario nos semper plures videre oportere canes, quod tamen nunquam fit, si dicas singulas partes hujus animæ sentire; at singulas particulam tantum canis v. g. pedem, vel caudam; certe ita per omnem æternitatem nunquam idea canis animo repræsentaretur. Quod si enim v. gr. anima illa ex mille constaret particulis, quarum unaquæque sensationem haberet partis canis, v. gr. auris, oculi, caudæ, tum quælibet earum nihil aliud animadverteret, quam quod sensit, & unde tandem & quidem tanta rapiditate enasceretur illud judicium in ea, se nimirum vidisse *canem* non aliud *animal*? denique si mens esset res divisibilis, nulla idearum abstractarum esset intelligentia, & universalium: mens nihil nosset, nisi quod actu sensus ferret, hinc rectissime mentem nostram Monada appellavit *Pythagoras*: posita autem hac adsertione fundamentum feliciter jactum est ad demonstrandam mentis immortalitatem. Eam *Pythagoras* & discipuli ipsius, si antiquis credimus, admisit: *Cicero Tusculanæ quaest. Lib. I. Sect. 38.* inquit: *Pherecydes Syracusanus primus dixit animos hominum esse sempiternos, hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit, qui cum Tarquinio Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Græciam cum honore & disciplina, tum etiam auctoritate, multa que post secula sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. Plut. de pl. Phil. Lib. I. docet, Heroes Thaleti & Pythagoræ esse κενωρισμένους ψυχὰς τῶν σωμάτων, καὶ ἀγαθὰς μὲν τὰς ἀγαθὰς. Κακὰς δὲ τὰς φαυλὰς* i. e. animas a corporibus separatas, bonorum quidem bonas, & malorum malas. Confirmat idem *Lactantius Lib. 7. cap. 8. De Zamolxide Servo Pythagoræ testatur Jamblichus in vita Pythag.*

thag. pag. 146. Ζαμολξίς γὰρ Θραξ ὢν καὶ Πυθαγόρῃ δούλος γινόμενος, καὶ τῶν λόγων τε Πυθαγόρῃ διακίστας, ἀφείδεις ἐλευθερὸς καὶ παραγενομένος πρὸς τὴν Γέτας, τὴν τε νομὸν αὐτοῖς ἐθήκε, καθάπερ καὶ ἐν ἀρχῇ ἐδηλωκαμέν, καὶ πρὸς τὴν ἀνδρείαν τὴν πολίαν παρεκαλεσε, τὴν ψυχὴν ἀθάνατον εἶναι πείσας· ἐτι καὶ νυν Γαλαταὶ πάντες, καὶ οἱ Θρακταί, καὶ οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων τὴν αὐτῶν υἱὸν πείθουσιν, ὡς· ἔκ ἐστιν φθαρῆναι τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ διαμένειν τῶν ἀποθανόντων, καὶ ὅτι τὸν θάνατον, ἔ φοβήσονται, ἀλλὰ πρὸς τὴν κινδυνὸν εὐρως ὡς ἐκλήσονται. i. e. *Zamolxis Thrax & servus Pythagoræ, postquam sermones Pythagoræ percepisset, manu missus, atque ad Getas reversus & leges ipsis tulit, sicut ab initio diximus, & ad fortitudinem populares suos incitavit, dum iis animæ immortalitatem persuasit, unde etiam Galatæ omnes & Thraces & alii multi Barbarorum liberos suos instituunt, ut credant animam interitus expertem esse mortuisque superstitem manere; adeoque illis mortem non extimescendam, sed firmato animo periculis occurrendam.* Idem confirmat Hierocles pag. 100, 103. sq. *Diod. Siculus* princip. Lib. 8. *Porphyrus* de vita Pythag. pag. 24. Edit. Küsteri. Hanc autem de Immortalitate mentis doctrinam errore de μετεμψυχωσει turpiter inquinavit: novi quidem esse viros eruditos, qui symbolice hæc interpretentur; at hos errare alibi probavimus: loca veterum evidentiora sunt, quam ut aliter intelligi possint. Hæc autem sententia inutilem reddit immortalitatem mentis, seu potius persuasionem de ejus immortalitate. Aliter quidem sentit Vir quidam doctus in *Observat. Hallens.* Tom. 2. Obs. x. concedit erroneam esse illam de μετεμψυχωσει opinionem: at absurdam

surdam esse, atque cum Immortalitate mentis pugnantem negat: & non opus est, ut multis disputemus, utrum illa sententia non solum erronea, sed & *absurda* sit dicenda; ex natura erroris, quo nomine hæc sententia sit adpellanda, patebit. Cum immortalitate autem mentis pugnare eam sententiam, nisi velimus *λογολαχειν*, evidentissimum est, quando mentem immortalem esse dicimus, non tantum adserimus, eam subsistere destructo corpore, quandoquidem & corpus nostrum hoc sensu immortale est; neque quod actionum suarum sit non nescia, sed quod ita actionum suarum quas in vita perpetravit ita sibi sit conscia, ut præmii & pœnæ ob vitam, vel bene vel male transactam, capax sit. Qui mentem particulam esse aëream vel igneam contendunt, non eam affirmant post mortem in nihilum verti, cum hujus sententiæ nullum sit plane certum argumentum: at immortalem esse negant: quando igitur *Pythagoras* asseruit mentem post corpus destructum existere, non statuit eam simul esse immortalem, quia præmiorum & pœnarum, quæ mortem statim subsequuntur, capacem negat. Si enim mille corpora ingreditur, atque in iis actiones semper novas producit, statui corporis, in quo est, convenientes, atque æterna erit illa Revolutio, pœnæ & præmia locum habere non possunt: Ille, qui bene vixit & post mortem præmio esset adficiendus, corpori inferitur bestię, in qua mens illa non sine molestissimo sensu habitat, atque ita memor actionum optimarum, dolet tamen pœnas sibi esse inflictas: præsertim autem miseria illa augetur, si cogitemus, quot molestiis vita hæc nostra sit obnoxia & quam parum humane pleraque tractentur animalia,

malia: certe gravissimum argumentum, quo homines ad bene agendum stimulari solent, si perpetuam illam & nunquam cessaturam animarum migrationem admittas, evanescit; frustra sunt tot adhortationes ad virtutis studium acuendum factæ, neque ulla ratione patet, quomodo dura hæc sententia cum Optimi Numinis natura & virtutibus consistere possit. Sumamus exempli loco ipsum *Pythagoram*. Ille, si *Jamblicho* & *Porphyrrio* credimus, virtuti per omnem vitam acerrimo studio vacavit, difficillimaque itinera, ut sapientiam addisceret, fecit; at tragica tandem periit morte: quod si jam vel maxime statuas, mentem ipsius in corpus migrasse, in quo tranquillioram vitam exegerit; certum tamen est, beatam omni ex parte non fuisse, sed metu futuræ migrationis in durius aliquod ergastulum, semper fuisse sollicitam, atque vehementer agitatum, hinc spes omnis, quæ ex virtute speratur, præscinditur: nunquam, quod alii ex gentilibus tamen sibi persuadebant, credere potuit *Pythagoras*, se perventurum in loca amœna fortunatorum nemorum, sedesque beatas. *Empedocles* de se apud *Laërtium* ait;

Ἦδη γὰρ πάλ' ἐγὼ γενομένην κερὸς τε κυρὴν τε
Θυμῶος οἰωνὸς τε καὶ ἐξ αἴλου ἐμπυρὸς ἰχθύος.

i. e. Nam (memini) fueram quondam puer atque puella,
Plantaque & ignitus piscis, pernixque Volucris.

Si in locum pœnæ puella, vel puer fuit, cur in piscem habitatum ire debuit, vel aliud animal? certe homini plane voluptatibus immerso, pœnæ loco non erit, si nullis legibus in posterum erit obnoxius, sed molliter vivere poterit: verbo, absurda est

Pytha-

Pythagoræ sententia de *μετεμψυχωσει*, si credidit hominem in has terras positum, ut recte factis sibi viam ad felicitatem munit; Deumque pro diversitate vitæ, quam viximus, post mortem cum hominibus acturum.

IX.

Tempus autem est, ut tandem dispiciamus, quibus argumentis *Viri docti* probent, *Pythagoram Atheismi* reum esse. Utuntur autem ad hoc probandum, partim locis quibusdam veterum, partim ratiocinantur ex ipsis principiis *Pythagoræ*. *P. Baylius* in *Lexico* voce *Pythagoras*, cum primis nititur quodam loco *Ciceronis*, ex quo impietatis eum convincere vult in *Continuat. des pensées diverses* p. 333. ait: *je vous renvoie a l'objection victorieuse, que Cicéron a proposée contre le dogme de Pythagoras touchant la nature ou la pretendue unité de Dieu.* Is autem exstat de *Nat. Deor. Lib. I. Sect. 27. p. m. 277.* atque ita sonat: *Nam Pythagoras, qui censuit Deum animum esse, per naturam rerum omnem intentum & commeantem, ex quo animi nostri carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi & dilacerari Deum: & cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram: quod fieri non potest.* Velim hic ante omnia attendi, hic loqui *Vellejum Epicureum*; qui non adeo accurate solet veterum enarrare opiniones, atque difficultates sæpe undecunque collectas movet: continet autem hæc objectio quatuor propositiones: [1] est, *Deum esse animum*, [2] *Animum divinum per omnem naturam rerum esse intentum*, [3] *Mentes nostras ex animo illo sive Deo carpi*, [4] *Cum multorum hominum mentes miserae sint, necesse esse, Deum ipsum, cuius partes*
Z 2
sint,

sint, miserum esse. Consideremus singulas propositiones, easque cum aliorum testimoniis conferamus, ut eo magis pateat quo fundamento superstructa sit *Velleji* objectio. Et *i.* quidem Deum ex mente *Pythagoræ* animum esse, supra, ni fallor, abunde probavimus: addamus autem, ut clarius mens ejus constet, loca quædam *Pythagoræorum* veterum de natura Dei. Ita *Hippodamus Thurius Pythagoreus* in *Opusc. myth. Galei* pag. 659. Των δη λογων έχοντων ζωων τα μεν εντι αυτοτεληα, οσα δι αυλα τεληα ενι, και εδενος επιδεη των εξωθεν, ετε πολι το ημεν, ετε πολι το καλως ημεν. τοιςλος δε κεν ειη ο Θεος. i. e. *jam ratione quadam prædita perfecta sunt, quæ per se sunt perfecta, nec ulla re externa, vel ut sint, vel ut bene sint, indigent, qualis quidem sit Deus.* Idem pag. 661. Ο μεν ων Θεος ετε μαθων παρα τινος των αρελων, αγαθος εγενελο, ετε επισυναρξαμενας αυλω τας τυχας ευδαιμων. Φυσει γαρ ην αγαθος και φυσει ευδαιμων, και αιει ην, και εσειται και εδεποκα υπολειψει τοιςλος εων αφθαρτος εων, και φυσει αγαθος. i. e. *ac Deus quidem nec virtute ab aliquo percepta bonus, nec felicitate comitante beatus est redidit.* Etenim natura tum bonus tum beatus erat, semperque & fuit & erit, nec unquam talis esse desinet, cum interire non possit. Idem pag. 664. mundum adspectabilem a Deo distinguit solerter, neque sine Numine harmoniam Universi consistere posse ait: Μη (inquit) υπαρχοισας γαρ αρμονιας και εποψιος θας, περι τον κοσμον, εκ αν εδυναλο συνημεν ετι καλως έχοντα τα εγκεκοσµαµενα: *Siquidem absque harmonia divinaque mundi cura non possent, quæ constituta sunt in statu suo permanere.* *Euryphamus* apud *Galeum* p. 665. Βιος ανθρωπις τεληιος, θεω μεν λειπεται,

πείλαι, τω μη αὐτοβίωτος ἦμεν. ἀλογων δε ζωνων καὶ
 θυπερεχει, τω ἀρείας καὶ εὐδαιμοσυνας ἐπιμοιρος
 ἦμεν. ἔτε γαρ ὁ Θεος τας ἐξωθεν αἰτίας πόλιδης
 ἐντι. (Φυσει γαρ ἀγαθος ἔων καὶ Φυσει εὐδαιμων
 ἐξ ἑαυτῶ τεληιος ἐντι), *perfecta hominis vita quem-*
admodum Deo cedit, quoniam ipsa perfecta non est, ita
brutis præstat, quoniam virtutis & beatitatis est particeps.
Nam nec Deus æternam causam requirit, (cum enim na-
tura bonus ac beatus sit, per se perfectus est) Idem
 p. 666. Τω θηϊον ἀνδρωπον, πολυελεστατον ζωνον, εἰς
 τον κοσμον ἐσωκισεν, ἀνίλιμον μεν τας ἰδίας Φυσεως
 ὀφθαλμον δε τας των ὄντων διακοσμοσιος. i. e. *Ho-*
minem Deus animal præstantissimum, & ut sua nature
respondens, ita Universi constitutionis oculum in mundo
collocavit. Archytas p. 673. ΔιαΦερει δε Θεος ἀνδρω-
 πω ἀγαθῶ, ὅτι Θεος μεν ἔ μονον εἰλικρινη καὶ διυ-
 λισμεναν ἔχει ταν ἀρείαν ἀπο παντος τω θνητῶ πα-
 θεος, ἀλλὰ καὶ ταν δυναμιν αἰτίας ἀβρυτον πεπασ-
 ται καὶ ἀνυπευθυνον, ὡς προς αἰωνιων ἐργων σεμ-
 νόσια τε καὶ μεγαλοπρεπειαν. ἀνδρωπος δ' ἔ μονον
 τω θνητῶ της Φυσεως κατὰσαμαλι μηονα ταυτῶν
 πεπασται. ἐσι δ' οκκα και δι' ἀγαθων ἀμελειαν (ita
haud infeliciter legendum conjicit M. Meibomius)
 και δια συνηθειαν ἰχυραν και δια Φυσιν μοχθηραν,
 και δι' ἀλλας αἰτίας πολλας, ἀδυνατει καὶ ἀκραν
 γεναθημεν παναλαθεος ἀγαθῶ. i. e. *Eo autem*
differt a bono Viro Deus, quod Deus non tantum
sincera & omnis humana perturbationis experte vir-
tute præditus est, verum etiam ejus facultatem tran-
quillam & liberam pro æternorum factorum Maje-
state ac Magnificentia possidet: Homo vero non tan-
tum per naturam humanam ea minore fruitur, ve-

rum saepe vel per bonorum neglectum ; vel per potentem consuetudinem , vel per pravam naturam , vel per alia multa , non potest veri Boni fastigium assequi. Idem pag. 677. Στρατεύματος μὲν γὰρ ἀγγέλος στραλάγος , πλωτῶν δὲ ὁ κυβερνήτης , τῷ δὲ κόσμῳ Θεός , τὰς ψυχὰς δὲ νοός . i. e. Exercitui praest Imperator , nautis Gubernator , mundo Deus , animo Mens. Καὶ Θεῷ μὲν εὐδαιμοσύνη καὶ βίος ἀριστός . Polus Pyth. pag. 703. Ἐν κόσμῳ μὲν ὧν αὐτῶν τῶν ὅλων ἀρχῶν διαστραλαγοῖσα , προνοία τε καὶ ἁρμονία καὶ δίκαια , γενεὴς τινος Θεῶν ἔτω ψαφίζαμένων . i. e. Et in mundo quidem totum administrans Imperium Providentia , Harmonia , ac Dice vocatur ex Deorum quorundam decreto. Jamblich. in Protrept. cujus fragmentum exhibet Jo. North. pag. 734. ita eleganter loquitur : Ὅσις ὧν ἀναλυταὶ οἷός τε ἐντιπαντὰ τὰ γενεὰ ὑπὸ μιᾶν τε καὶ τῶν αὐτῶν ἀρχῶν , καὶ πάλιν συνθεῖναι τε καὶ συναριθμησασθαι , ἔτος δοκεῖ μοι καὶ σοφώτατος ἡμῶν καὶ παναλαθεύσατος . ἔτι δὲ καὶ καλῶν σκοπιᾶν εὐρηκεναὶ ἀφ᾿ αὐτοῦ δυνατός ἐστειταὶ τὸν Θεὸν κατόψειδαι , καὶ παντὰ τὰ ἐν ταῖς συστοιχείαις καὶ τάξει τὰ ἐκεῖθεν κατὰ κεχωρισμένα , καὶ ταῦτ᾿ ἀρματηλατὸν ὁδὸν ἐκπορῆσαι , τῷ νοῷ κατ' εὐθείαν ὁρμαθῆναι καὶ τελοδρομῆσαι , τὰς ἀρχὰς τοῖς περᾶσι συναψάντα , καὶ ἐπιγνοντα ὅτι ὁ Θεὸς ἀρχὴ τε καὶ τέλος καὶ μέσον ἐστὶ πάντων τῶν κατὰ δίκαιαν τε καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον περαινομένων . i. e. quicumque ergo resolvere possit omnia genera ; quae sub uno eodemque principio conduntur , & dein rursus componere ac numero compingere , ille mihi videtur Sapientissimus & longe veracissimus. Porro pulchram speculam reperiit

riit, e qua Deum contemplari potest, atque omnia in rerum serie & ordine ab illo separata; & latissimam hanc viam ingressus recta in animo perget, metamque attinget, principia suis finibus annectens & exploratum habens, Deum esse principium, medium & finem rerum omnium, quæ secundum justitiam & rectam rationem perficiuntur. Theodoret. de Græc. affect. pag. 489. Tom. IV. edit. Sirmondi, Pythagoram cum Socrate & Anaxagora Deum professum & *Movada* vocasse adserit. Non jam provocabo ad libellum *Timæi Locri* adserentis, Deum esse mentem ab omni materiæ labe plane secretam, pluribus id ostendi in *Apologia Platonis*. Ex adductis omnibus illis locis patet, *Pythagoram*, Deum sapientissimum admisisse, eumque a materia, rebusque omnibus in oculos incurrentibus, distinxisse, verbo, *Movada* sensu strictissimo habuisse. Accedamus ad 2am propositionem *Velleji*, hæc talis est: *Animus ille, sive mens illa; per naturam rerum est intenta, per eamque comitat.* Si græca, ex quibus *Cicero* hæc repetiit, ad manus essent, melius de vi hujus phraseos judicare possemus. Cum autem *Pythagoras* professus fuerit, Deum mentem esse, convenienter huic opinioni verba sunt explicanda. Sensus autem talis est: Mens omnia pervadit, in omnibus efficaciter operatur, omnia fovet, nihil sine ea subsistit; hinc in libro quem *Sacrum Sermonem* inscripsit apud *Jamblichum* pag. 123. Ἐθα τῶν ἀριθμῶ ἐστὶν αἰδίων εἶναι μὲν ἀρχὴν προμαθεσάσαν τῷ πάντῳ ἔργῳ καὶ γῆς καὶ τὰς μέγας φυσίος. i. e. dixit numeri essentiam esse æternam, principium esse providentissimum universi, cæli, terræ & intermedia nature: Quod si quis dicat nos verba illa, mens

universum mundum permeat, mollius interpretari, non negabimus; At simul jure a nobis id fieri contendimus. Si quis *Apostolum Paulum* audiret dicentem, omnia in Deo esse, vivere, & moveri, & contenderet, hæc ex mente *Spinozæ* esse intelligenda, omnes sine dubio clamarent, vim inferri verbis *Pauli*: cum aliunde notum sit, quid de Deo senserit *Paulus*, quamque solerter eum a mundo, rebusque omnibus creatis distinxerit. Idem ergo hic dicendum videtur, solus adest in quæstione illa locus *Velleji*; agitur non de quæstione frivola, sed maximi momenti; quæritur utrum *Pythagoras Atheismi* jure possit postulari. Adduximus ingentem copiam testimoniorum veterum scriptorum: omnes testantur, eum Deum pro mente purissima, & a materia longissime secreta, habere; convenienter ergo hisce interpretamur mentem Auctoris: potest, verum est, etiam ex mente *Spinozæ* dici, Deum esse mentem omnia permeantem & pervadentem; sed tum ratiocinandum est ex principio *Spinozæ*: atqui nondum probatum *Pythagoram* de una tantum substantia i. e. toto Universo idem sensisse. Pergimus ad *tertiam* propositionem, quæ talis est: *Ex animo, id est Deo, mentes nostræ capiuntur.* Hic vero in verbis est quædam varietas. *Lactantius* & *M. Felix* legunt, ex quo omnia, quæ nascuntur, animalia vitam capiunt: quod si hanc lectionem admittamus; nihil aliud inde concludi potest, quam Deum non esse truncum vel inertem quamdam materiem; sed cunctis vitam tribuentem, si ve jam animalium sentiendi, hominumque intelligendi vim, si ve motum intelligas, nihil est, quod non bonam possit ferre interpretationem: at maneamus jam in verbis *Ciceronis*: triplicem ea phrasidis potest admittere significationem. (1) significare potest,

potest, mentes nostras esse *particulas essentiae divinae*; Deumque esse corpus ex infinitis corpusculis constans, quorum mentes nostrae omnes sint partes: (2) denotare potest, Deum esse Spiritum; mentes autem nostras essentiae illius spiritualis quaedam esse *ἰσοπαράμωλα*: (3) denique *Pythagoras* his verbis potuit significare, ex Deo, tanquam immenso Oceano prodiisse mentes nostras, ita tamen, ut in Deo substiterint, non tamen tanquam partes Dei. Quod ad postremam interpretationem spectat, potuit *Pythagoras* credere, mentes nostras esse originis divinae, in Deo ratione quadam nobis hominibus imperscrutabili substituisse, & latuisse; suo tempore autem ex Deo, tanquam Oceano animarum, prodiisse: quin haec etiam cogitatio in mentem venire potuerit *Pythagorae*, cum multa alia sublimia excogitaverit, nullus dubito; hoc autem sensu intellecta verba *Ciceronis*, aliquid significarent, de quo quidem persuasus & certus non potuit esse *Pythagoras*; at periculosa non adeo esset, vel erronea sententia. Priorem interpretationem quod attinet manifeste falsa est; ex universa enim *Philosophiae Pythagoricae* natura constat, eum Deum pro Monade, Ente plane ab omni materiae labe secreto habuisse: Restat ergo *secunda* sententia, secundum quam mentes nostrae essent intellectualis illius Substantiae primae, intellectuales partes: at difficulter & haec admitti potest, si veterum testimonia admittimus. Quo enim tandem sensu esset Deus *Movras*, si ex infinitis componeretur mentibus? cur tandem quicquid ex partibus constat, quicquid non simpliciter unum est, vocavit *Δωδεκα*? an non infinitae numero mentes jure vocarentur *Δωδεκα*? Eo ipso, quod Materia, in multas est divisa partes vocatur *δύακ*; si Deus ex tot mentibus a se

realiter distinctis constat, non minus Δυας posset appellari, neque consentit hoc testimonium Ciceronis cum aliis testimoniis veterum, certe Hierocles ad aurea carm. Pythag. p. 133. aliter loquitur: Φαινεται [inquit] ἐπι μεν των ανθρωπινων ψυχων εκαστην αυτος υποσησας. ἐπι δε των αλογων μονα γενη, προτεινων τη διαπλαττηση αυτα φυσει, ως Πλατωνι δοκει και Τιμαω τω πυθαγορειω, εδεν μεν προσεχες των θνητων δημισεργημα ειναι τς θες τιθεμενοις. τας δε ανθρωπιναις ψυχαις γινεσθαι εκ τς αυτς κρατηρος τοις τε εγκοσμιοις θεοις και τοις Δαιμοσιν και τοις αγουοις ηρωσι. i. e. videtur quidem singulos hominum animos ipse produxisse: brutorum autem sola genera; illis natura singenti commissis, uti Platoni Timæoque Pythagoræo visum est; quibus prout nihil eorum, quæ morti sunt obnoxia, a Deo immediate conditum esse; animos autem hominum ex eadem temperatione, qua mundani Dii atque Daimones, ipsique etiam illustres Heroës factos esse: Similiter pag. 139. Και ετω των αιδιων δημισεργηματων τς Δημισεργς και η ανθρωπινη ψυχη ανευρισκεται οθεν αυτη και της θειας ομοιωσεως μετεσιν. Aliter loquitur etiam quam Cicero Timæus Locrus apud Gal. p. 556. Jam vero (inquit) post mundi constitutionem mortalium animantium generationem molitus est Deus, ut ad imaginem illam perfectus esset plane atque absolutus. Humanam igitur animam ex iisdem rationibus atque potentiis contemperatam atque divisam distribuebat, Naturæ alteratrici hoc tributo ministerio: quæ acceptis harum rerum mandatis ipsius Opificis quasi vicem obivit in mortalibus & diurnis animalibus effi-

efficiendis, quorum animas quasi per fluxum quendam instillabat: ita alias quidem a luna, alias a sole, alias a cæteris quæ in alterius parte oberrant astris deducebat. Unam animam excepit, quæ ejusdem potentia prædita est, quam in parte illa rationis particeps admiscuit, imaginem sapientiæ his qui bono fato fruuntur, nam humanæ animæ altera pars est rationis particeps & intelligens: altera rationis expers atque insipiens. Hæc loca ut de aliis nil dicam, probant Pythagoram longe aliter de origine mentis nostræ sensisse quam Vellejus est interpretatus, qui totius Systematis Pythagorici nexum non enarravit, nedum explicuit: At instat Baylius in *Continuat. des Pensées diverses* pag. 333. dicens: *Ce qui pourroit faire croire, que ce savant (de Cudwortho loquitur) Anglois attire a son hypothèse a force de bras & des machines, tout ce, qu'il rencontre, c'est qu'il pretend, que Pythagoras a été un véritable unitaire; qu'il me soit permis d'user de ce mot, pour designer la doctrine de l'Unité de Dieu. Mais comment est ce, que ce Philosophe meriteroit ce nom la, puisque de l'aveu de M^s Cudworth il a parlé quelque foy de Dieu comme de l'ame du monde? y a-t-il rien, qui soit composé des parties plus distinctes & plus discordantes, qu'une telle ame? comme sont enormes les inimitiés, les antipathies, les guerres des animaux, & des nations? Combien sont elles incompatibles avec la véritable unité & substance, de principe, de cause, & de tout ce, qu'il vous plaira: provocat ad J. Clerici *Bibl. Select.* Tom. 3. pag. 68. ubi hæc verba extant: *Le premier Philosophe d'ont l'Autheur montre, qu'il n'a crû qu'un Dieu**

Dieu supreme, est Pythagore. Cependant il pretend, qu'il a eu une idee confuse d'une Trinite de personnes dans la Divinite, parce qu'il décrit Dieu tantot comme une Unité, ou comme il parloit une Monade, tantot comme un Esprit, & tantot comme l'ame du Monde; noms dont les Platoniciens se sont servis depuis, pour exprimer la suprême de leurs Trinitez. Non disputabo hic de Trinitate ex mente Pythagoræ; certum enim est Platonicos recentiores, ad suam sententiam stabiliendam, Pythagoræ dicta ad nutum suum explicasse, atque tres substantias gradibus perfectionis inter se distinctas admisisse; hoc unum dico; Baylium veterum testimoniis non munitum, omnia arripere, quæ ad hypothesein suam stabiliendam facere posse existimat: aut enim Pythagoras per animam mundi idem intellexit, quod Platonici; aut aliud quid. Si prius, ostendendum ex Philosophorum illorum decretis Animam mundi, & Deum, unam numero absolvisse substantiam; probandum, animam illam mundi, cum omnibus rebus corporeis necessario conjunctam copulatamque fuisse: probandum, omnes animas partes esse animæ mundi. Si aliud tandem intellexit nomine animæ mundi, hoc iterum perspicuis locis probandum fuisset. Baylius pag. 120. des pensées diverses quid de Anima mundi sentiat aperuit; at nullibi probavit, veteres Pythagoreos, & Platonicos huic ipsi fuisse addictos sententiæ: unus illi locus Ciceronis, loco omnium testimoniorum est, ad sententiam suam comprobendam; iniquum autem est, testes multos fide dignos, in negotio, de quo agitur, exercitatos, spernere, atque rejicere; Unum autem, cui nullo

nullo jure tantum tribuas, admittere, & ex ejus testimonio de re omnium gravissima judicare. (*)
 Audiamus aliam accusationem petitam ex testimonio Theophili ad Autolyicum Lib. 3. p. m. 120.
 Πυθαγόρας δε τούτοις μοχθήσας περι Θεων και την άνω καιτω πορειαν ποιησαμενος, έχατον όριζει Φυσιν και άυτοματισμον είναι. Φησι δε των παντων Θεος άνδρωπων μηδεν φροντιζειν. i. e. vertente Th. Reinesio; Pythagoras postquam adeo de Diis laborasset, & huc illuc (apud varias & remotas Gentes) discurrisset, ultimum determinat, eum Naturam esse, fierique omnia fortuito, & Deos mortalium nullam curam gerere. Pag. 121. Eum confert cum Evehemero & Epicuro negantibus, uti perhibet, είναι Θεοσεβειαν και προνοαν. ib. p. 136.
 εδε

(*) Si verum fateri volumus, plane impossibile est, veram sententiam Pythagoræ de hoc argumento in apicum proferre: hinc placet mihi ingenuum atque sapiens judicium Cl. Moshemii, quod exstat in notis ad Cudworthum pag. 446. ita autem sonat: *Non ii sumus hodie, quibus ex paucis Veterum verbis universam Pythagoræ sapientiam & disciplinam integrum sit metiri: Ad Pythagoram imprimis quod attinet, quæ de eo memoriae sunt prodita, ita pugnant inter se, tamque varia sunt & ambigua, ut, si quis pusillo tantum valeat ingenio, omnia omnium Philosophorum scita, & decreta in illis reperire queat. Qui hodie Cartesianus videbitur, si velit, ex hac Schola quidam Pythagoras, cras, si alius labori parcere nolit, ad Gassendi scholam migrabit: sed hunc hominem Spinoza facile mox rapiet & suum faciet. His non obstantibus uno hoc Ciceronis testimonio mixtus J. Basnage, Pythagoram Spinozismi reum facere voluit Tom. 3. Histoire des Juifs. pag. 538.*

Οὐ ἀγενήτος , inquit , ὁ κόσμος ἔστι , καὶ αὐτοματισμός τῶν πάντων καθὼς Πυθαγόρας καὶ ὀλοῖτοι πεφλυαρηκάσιν. *Quanti hoc testimonium Theophili sit habendum , vel me tacente omnes vident ; nihil nempe : pugnat enim cum cæterorum omnium , quorum testimonia adduximus , verbis : pugnat cum universa Philosophiæ Pythagoricæ indole. Nullum vestigium in Pythagoræ Scriptis , quæ quidem pro talibus habentur , negatæ Providentiæ vel αὐτοματισμοῦ reperitur. Neque provocat bonus Pater ad testes , quos in hoc negotio adferre oporteret. Sane , qui libellum hunc Theophili evolvit , facile deprehendit , eum hominem fuisse μικροτον ὄντα , miserum Scripturæ Interpretem , & in Hist. Philosoph. peritiæ cum Clem. Alex. Origine , Theodoro , nulla ratione comparandum , hominem denique , qui antiquis Philosophis sine accurato examine multa tribuit , quæ a sententiis , quas defendebant , longissime fuerunt remota. Sane si Pythagoræus Philosophus incidisset in hunc libellum , atque perspexisset , quam male mentem suam fuisset interpretatus , dubium non est , quin hæc interpretandi ratio maligna animum suum a Religione Christiana magis abalienasset ; adeo verum est , potius singulari divinæ Providentiæ cura , quam eruditione , & prudentia Doctorum primæ ætatis promotam fuisse sanctissimam Religionem.*

X.

Alii , ut Atheismi reum faciant *Samium Philosophum* , ex ipsa Systematis Pythagorici natura , argumenta depromunt. H. *Foppius* olim *Rector Gymnasii Bremensis* in *Dissertat. de Atheismo Veterum Philosophorum* *Bremæ sub præsidio Cl. J. Hasæi habita*
ad

ad doctrinam de numeris provocat, atque ex hoc fonte contra Pythagoram insurgit: Quemadmodum, inquit, omnes numeri ex multiplicatis constant Monadibus, adeoque nihil sunt nisi monades, quæ respectu compositionum nonnisi alios sortiuntur Characteres; ita etiam Pythagoras res quasvis, quas conspiciamus, & quæ ad hoc Universum pertinent, varios Dei Characteres formasque varias nominavit. Id vero quam prope à Spinozismo distet, nemo non intelligit. Solide hanc objectionem refutavit V. Doctissimus, J. Syrbius, Professor olim Acad. Jenensis in dissertat. de Origine Atheismi pag. 42. dicens: Sed vero non res in hac Philosophia, sed rerum Symbola sunt numeri, quæ si alieno applicentur, & ultra tertium comparationis quod vocant, scopumque suum extendantur, quæ portenta non ex iis constari posse existimabimus? Ad monadem quod attinet, non Deum solum eo designabant nomine, sed & intellectum seu mundum intelligibilem, ipsum etiam mundum adspectabilem, quem quatenus Spiritu constare putabant, & materia ἀρρηστον vocabant, chaos præterea, animam, imo etiam justitiam centrum Jovis turrim, & quicquid unquam in quolibet genere valere potest pro principio. Hinc igitur cum dixerunt forte: mundum constare ex monadibus; ineptum fuerit & ridiculum aliud concipere monadis genus, quam quod materiam notat. Contra vero cum Deus ipse dicitur monas, numerorum omnium principium simul & finis: huc applicari minime debet, quod nonnisi de monade in genere cause materialis verum est: sed hoc potius tenendum, monadem, non minus a numero, quam numerum a monade toto celo differre. Quod quidem cum luculenter satis inculetur a Veteribus

bus numerorum Doctoribus; tantum profecto abest, ut hinc Atheismum conficere possis, ut pro opposita veritate valere debeat potius: Provocat dein V. Doctus ad locum Macrobiani de Somn. Scip. cap. 6. pag. 19. dicentis: Unum autem, quod Monas, id est Unitas dicitur, & mas idem & femina est: par idem atque impar: ipsa non numerus, sed fons & origo numerorum. Hac Monas initium finisque omnium, neque ipsa principii aut finis sciens ad summum refertur Deum, ejusque intellectum a sequentium numero rerum sequestrat: nec in inferiore post Deum gradu eam frustra desideraveris. Hac illa est mens ex summo enata Deo, quæ vices temporum nesciens in uno semper, quod adest, consistit ævo; quumque utpote una non sit ipsa numerabilis, innumeros tamen generum species & de se creat, & intra se continet. (2.) Addo ego, præterquam quod certum sit, per Monadem plane aliud, quam atomum denotari; loquitur Pythagoras de Monade prima, quæ omnium rerum causa est, per quam sine dubio non potuit intelligere atomum proprie sic dictam; cum denuo in æternum rediret eadem quæstio; unde etiam causam primam τὴν Monada per excellentiam vocarunt Pythagorici. Fatetur hoc Sextus Emp. Lib. X. pag. 675. edit. Fabric. dicens: Καὶ μὴν ἔδε ἐνεσι φαῖναι ὅτι αἰωνίως συμβεβήκεν εἶναι τὰς ἀτομὰς. καὶ διὰ τὸ τοῦ δυναθῆαι σωματικὰς ἔσας τῶν ὅλων ἀρχεῖν. πρῶτον μὲν γὰρ καὶ οἱ τὰς ὁμοιομερείας καὶ οἱ τὴν ὄγκου, καὶ οἱ τὰ ἐλαχίστα καὶ ἀμερῆ λεγόντες εἶναι σοιχεῖα, αἰώνιον ἀπολείπει τῶν τῶν ὑπόστασιν, ὥστε μὴ μάλλον τὰς ἀτομὰς ἢ ταυτ' εἶναι σοιχεῖα.

Ἔϊτα

Ἔπειτα καὶ δεδοῦτο, ταῖς ἀληθεύουσιν αἰωνίαις εἶναι τὰς
 ἄτομους, ἀλλ' ὅν τρόπον οἱ ἀγενήτων καὶ αἰωνίων
 ἀπολείποντες τὸν κόσμον, εἶδεν ἤττον πρὸς ἐπινοίαν
 ζητῆσαι τὰς πρῶτον συνησαμένους αὐτὸν ἀρχάς.
 ἔγω καὶ ἡμεῖς, φασὶν οἱ Πυθαγόρικοι, τῶν φυσικῶν
 φιλοσοφῶν κατ' ἐπινοίαν σκεπτομένη, τὸ, ἐκ τινῶν
 τὰ αἰωνία ταῦτα καὶ λογῶ θεωρητὰ συνεσηκε σω-
 ματῶν· καὶ σωματὰ μὲν ἐκ ἂν εἴποιμεν, ἐπεὶ δεῖ-
 σαι κακίων σωματῶν λέγειν εἶναι συστατικά. καὶ
 ἔτις εἰς ἀπειρὸν προβαίνουσης τῆς ἐπινοίας ἀναρχὸν
 γινέσθαι το πᾶν. λείπεται ἄρα λέγειν, ἐξ ἄσωμα-
 τῶν εἶναι τὴν συστασὶν τῶν νοητῶν σωματῶν. i. e.
Sed neque licet dicere quod æternas esse accidit atomos,
Ἔ ideo posse, cum sint corporeæ, Universorum esse principia.
Primum enim, Ἔ qui similes partes Ἔ qui molecu-
las, Ἔ qui minima individua dicunt esse Elementa
eorum æternam relinquunt substantiam; quo fit ut non
magis atomi, quam ea sint Elementa. Deinde etiamsi
datum fuerit, revera æternas esse atomos: attamen quo
modo, qui mundum relinquunt ingenitum Ἔ æternum,
nihilò secius ad eum mente cogitandum, quærunt princi-
pia, quæ ipsum primum constituerunt. Ita etiam nos
quoque, inquiunt Pythagorici, naturalium Philosophorum
more cogitantes consideramus, ex quibusnam consistit hæc
æterna Ἔ ratione contemplanda corpora: aut ergo sunt
corpora, quæ ea constituunt, aut incorporea. Et cor-
pora quidem non dixerimus, quoniam oportebit dicere
etiam illa consistere e corporibus: Ἔ ita in infinitum
procedente cogitatione, esse Universitatem principii ex-
pertem. Restat ergo ut dicatur ex incorporeis constitui
corpora quæ percipiuntur intelligentia. Hinc etiam Cl.
Fabricius in subjecta his verbis nota ait: Notat (in-
quit) haud sufficere, ut aliquid pro primo principio ha-

beatatur, cum diversæ diversorum Philosophorum opinio-
 nes extent de principiis omnibus æternis; & quidem ip-
 sum mundum sibi persuaserunt ortu & initio carere: ita-
 que recurrendum esse cogitatione ad intimas, quibus ab
 æterno talia esse potuerint, quibusque consent, rationes
 neque in corporali textura acquiescendum, sed ad in-
 telligibilia & incorporalia esse ascendendum. Hinc idem
 Sextus eodem libro pag. 679. Φασιν ἐν ταῖς ἀρ-
 χαῖς ταύταις τὸν μὲν τῆς δρωντος αἰτίας λόγον ἔπε-
 χειν τὴν Μονάδα τὸν δὲ τῆς πασχούσης ὕλης, τὴν
 δυάδα; καὶ ὅν τρόπον τῆς ἐξ αὐτῶν ὑποσάντας
 ἀριθμοὺς ἀπέτελεσαν, ἔτω καὶ τὸν κόσμον, καὶ παν-
 τὰ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ συνεσησάντο. i. e. dicunt ita-
 que in his principiis unitatem tenere rationem causæ agen-
 tis, binarium autem rationem causæ patientis. Et quo-
 modo eos qui ex iis constant effecerunt numeros: ita eti-
 am mundum construxerunt, & quæcunque sunt in mun-
 do. Sane locus ille clarissime ostendit mentem
 Pythagoræ, convenitque cum reliquorum testimo-
 niorum sensu: hinc jam jam citatus Fabricius ait:
 Itaque Jamblichus in Theologumenis Arithmeticæ p. 6.
 & 7. ex Pythagoricorum mente Μονάδα confert cum Deo
 causa rerum omnium, patrisque & matris vicem omnibus
 rebus præbente. Quod si igitur Pythagoras, vel ma-
 xime dixisset, universum ex atomis constare,
 nondum tamen probatum esset, Eum Atheum es-
 se: probandum enim foret, eum præter atomos
 nihil admisisse; Causam nullam primam intelle-
 ctualem ab atomis prorsus distinctam. (3) Nescio
 quid sibi velint verba D. Foppii dicentis; Pythago-
 ram res quasvis, quæ ad hoc universum pertinent, va-
 rios Dei Characteres formasque nominasse: Si his ver-
 bis significare voluit, omnes partes mundi ad Es-
 sentiam Numinis pertinere, Deumque ex omni-
 bus

bus simul junctis constare, supponitur id quod in quæstione est: Neque quicquam probat, quod objicit, *Pythagoram* dixisse, nihil oriri, nihil interire. Supra enim ex *Plutarcho de Placit. philosoph.* Lib. 2. cap. 4. diximus, quo sensu hæc interpretanda sint. Restat locus aliquis, qui exstat in *Secundi Philosophi*, uti putant, *Pythagorici*, sententiis, apud *Galeum* pag. 635, in quo Deus vocetur *ἰδία πᾶντων ἔσια*: Respondet ad h. objectionem *D. Syrbius disertat. citata* pag. 43. sq. cujus verba, quoniam in paucorum manibus esse solent ejusmodi disputationes, adponam. *Sed primo (inquit) hic testis non est exceptione major. Nam quæ sub ejus nomine circumferuntur argutiolæ & ænigmata, sed vel spuria, ut ne ad Secundum quidem referri possint; non genuina, vel saltem interpolata plane sint. Et si verus eorum auctor Secundus fuit; unde etiam constat eum genuinum fuisse Pythagoricum? fabulam ego credo & scœmma vulgi, ex silentio hominis perpetuo natum; quod ille tamen non ex disciplina Pythagoræ, sed perpetrati incestus pœnitentia ac dolore maternæ mortis tenuit; ut ulcisceretur vocem qua in concubitu Matri innotuerat. Hæc enim sceleris horrore mortem sibi conscivisse dicitur. Saltem in sententiis istis nihil invenio Pythagorici; imo sunt quædam huic disciplinæ plane contraria v. gr. quando mundus vocatur ἀύλογεννηλον θεωρημα, spectaculum ex se natum, mors vero αἰωνιος ὕπνος, somnus æternus & ἀπολυσις πᾶντων dissolutio omnium; quæ verius hortum Epicuri referunt, quam Pythagoræ Sindonem; deinde si rem ipsam consideres: tota illa Dei descriptio ænigmatica est, & ea tantum innuere videtur, quæ Dei nomine indigitata sint a variis: Adponam ipsam definitionem Dei, quandoquidem *D. Syrbius* hoc neglexit: Θεος (inquit) ἐστὶ ἰδιοπλαστον Ἄγαθον, πολυμορφον ἕκαστα, ἀσυνοπτον ὕψωμα, πολυχαρακλον μορφωμα, δυσ-*

νοημενον ζήσημα, ἀθάνατος νῆς, πολυδιοικηλον πνευμα, ἀκοιμητος ὀφθαλμος, ἰδια παντων ἔσια, πολυωνυμος δυναμις, παγκρατης χειρ, φως, νῆς, δυναμις. Quis tandem ex conglomeratis tot diversis sententiis unam præ cæteris eliget, quæ errori obnoxia videtur, cæteris alto silentio suppressis? At pergit D. Syrbius: Dum hæc scribo in memoriam mihi venit locus quidam Porphyrii, haud postremi Philosophiæ Pythagoricæ & Platonicae Interpretis; ubi intellectus seu mundus intelligibilis adpellatur πατα ἔσια των ὄντων, Universalis rerum Essentia: Verum non est, ut ex eo Spinozismum Pythagoricum vel Platicum probari posse existimes: non enim de Deo summo, sed de mundo intelligibili sermo est Porphyrio. Plato autem, quem hac in parte Pythagoræ premere vestigia notum est, Deum seu bonum ἔσιαν non esse, sed dare, disertissimis verbis docet: Unde simul adparet, ἔσιαν non semper per hoc ipsum per quod aliquid est Ens, sed aliquando formam productricem, ut ita dicam, denotare. Harum igitur formarum complexum παταν ἔσιαν των ὄντων appellarunt mundum intelligibilem. Quem si & ἰδιαν παντων ἔσιαν hoc est complexum formarum primarum νοητων, & originalium adpellari posse contendas, coacta nonnihil videri posset interpretatio, sed quæ simul omnem Atheismi suspicionem facile diluat. Hactenus D. Syrbius. Hoc unum ego addo, etiamsi Pythagoras Θεον Παντων ἔσιαν dixisset, nondum, nisi aliunde ejus mens fuisset perspecta, Atheismi postulari posset; Quid si enim cum modernis Leibnizio & aliis, Deum mundum intelligibilem vocasset, in quo essent ἔσια των παντων, non formaliter, uti in Scholis loqui solent, sed eminenter? at nec his opus est contra Pythagoræ oppugnatores interpretationibus. Hoc unum contra eos sufficeret, si dicamus, quod quicquid alicujus ponderis fuit in doctri-

na *Pythagoræ*, simul cum obitu *Samii* fuerit oblivioni traditum; unde quam certa sint argumenta contra decreta ipsius allata nemo non videt. Videantur testimonia ad hoc probandum a *Cl. Moshemio* allata in notis ad *Cudworthum* Tom. I. pag. 445.

FINIS

